

Caesar, de bello gallico 1, 31, 1-11

Nach dem römischen Sieg über die Helvetier sind viele Vornehme der keltischen Stämme Galliens als Gesandte bei Caesar eingetroffen. In einer Versammlung fallen Caesar ihre traurigen Mienen auf. Auf die Frage nach dem Grund erhält er (zunächst) keine Antwort.

1 Eo concilio dimisso idem principes civitatum, qui ante fuerant, ad Caesarem reverterunt petieruntque¹, uti sibi secreto in occulto de sua omniumque salute cum eo agere liceret. 2 Ea re impetrata sese omnes flentes Caesari ad pedes proiecerunt²: non minus se id contendere et laborare, ne ea, quae dixissent, enuntiarentur, quam uti ea, quae vellent, impetrarent, propterea quod, si enuntiatum esset, summum in cruciatum se venturos viderent.

3 Locutus est pro his Diviciacus Haeduus³: Galliae totius factiones esse duas; harum alterius principatum tenere Haeduos³, alterius Arvernos. 4 Hi cum tantopere de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse, uti ab Arvernibus Sequanisque Germani mercede⁴ arcesserentur. 5 Horum primo circiter milia quindecim Rhenum transisse; posteaquam agros et cultum et copias⁵ Gallorum homines feri ac barbari adamassent, traductos plures; nunc esse in Gallia ad centum et viginti milium numerum. 6 Cum his Haeduos³ eorumque clientes semel atque iterum armis contendisse; magnam calamitatem⁶ pulsos accepisse, omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse. 7 Quibus proeliis calamitatibusque fractos⁷, qui et sua virtute et populi Romani hospitio atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos civitatis et iure iurando civitatem obstringere sese neque obsides repetituros neque auxilium a populo Romano imploratos neque recusatos, quominus perpetuo sub illorum ditione atque imperio essent. 8 Unum se esse ex omni civitate Haeduorum³, qui adduci non potuerit, ut iuraret aut liberos suos obsides daret. 9 Ob eam rem se ex civitate profugisse et Romam ad senatum venisse auxilium postulatum, quod solus neque iure iurando neque obsidibus teneretur. 10 Sed peius victoribus Sequanis quam Haeduis³ victis accidisse, propterea quod Ariovistus, rex Germanorum, in eorum finibus

consedisset tertiamque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliae, occupavisset et nunc de altera parte tertia Sequanos decedere iuberet, propterea quod paucis mensibus ante Harudum⁸ milia hominum viginti quattuor ad eum venissent, quibus locus ac sedes⁹ pararentur. 11 Futurum esse paucis annis, uti omnes ex Galliae finibus pellerentur atque omnes Germani Rhenum transirent; neque enim conferendum esse Gallicum¹⁰ cum Germanorum agro neque hanc consuetudinem victus cum illa comparandam.

Hilfen:

- 1) petierunt: *Kurzform für „petiverunt“ (sogenanntes synkopisches Perfekt)*
- 2) Ergänze bei der Übersetzung: „... und sagten“.
- 3) Haeduus, -i (m.) = Haeduer (*also: Angehöriger des keltischen Stammes der Haeduer*)
- 4) merces, mercedis (f.) = Sold
- 5) copiae, -iarum (f. pl.) = hier: Wohlstand
- 6) calamitas, -atis (f.) = Niederlage (*Ariovist hatte den Haeduern etwa 62 v. Chr. bei Magetobriga eine vernichtende Niederlage zugefügt.*)
- 7) Ergänze „se“ als *Subjektsakkusativ*.
- 8) Harudes, -um (m. pl.) = die Haruden (*Name eines germanischen Stammes*)
- 9) locus ac sedes = Platz für Ansiedelungen (*Hendiadyoin*)
- 10) Ergänze: „agrum“